

vicosque reddunt. Centeni singuli ex plebe comites, consilium simul & auctoritas, adsunt. Partes hæc centuriæ dicebantur, vernacula voce **hunderten** / Latina , quam posteriores Germani in suam adscivere civitatem, **CENTEN**; unde harum centuriarum comites **centgreven**, atque judicium **centum virale**, quod apud Romanos quoque obtinuisse testis est Cicero I. de oratore , das **Cent-Gericht**; quorum nominum hodienum memoria apud nos conservatur : In Hassia namque novimus paganos judices vocari **Greven**. Certe numero centenatio, quem **justum** vocat Varrone, in populorum in certas classes distributione admodum delectabantur veteres ; quod & Romanos fecisse manifestum est. Hinc **de centuriatis comitiis**, quia populus a Servio Tullio, teste Livio, Floro , Eutropio, per **centurias** divisus erat, **centumviris judicibus**, ceteris, passim legere est in historia Romana. Hæc tamen non eo accipi velim, ac si hi C Suevorum pagi non omnes & singuli , sed ex quovis saltim centuria, atque adeo C pagorum centuriæ Ariovisto auxilio venire decreverint.

## XI.

Huic Suevico exercitui , his Ariovisti auxiliis præfuisse , addit Cæsar , duces **NASUAM** & **Cimberium fratres**. De horum origine altum est silentium ; neque apud historicos documentum nobis relictum, ex quo, sive de stirpe sive nominum ratione, certi quidpiam definire possemus ; infra tamen aliquid conjicimus. Germanos fuisse quis dubitabit? quum Suevi essent, Suevorumque Duces, ac contra Cælarem exercitusque Romanos, ad augendas Ariovisti in Sequanis copias, expeditionem suscipere ad laborabant, Rhenum tracturi. Et quia Germani erant , hinc nulla etiam

B 2

aliam,